

12  
S I D V S  
P V B L I C Æ L Æ T I T I Æ

In Nuptijs

ILLVSTRISSIMORVM



EXCELLENTISSIMORVM

SIGISMVNDI

SACRI ROM. IMP. COMITIS

A DONHOFF

ET

ANNÆ TERESSIÆ

ILLVSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI  
DOMINI

GEORGII DVCIS IN OSSOLIN

SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPIS  
SVPREMI REGNI POLONIÆ CANCELLARII

FILIAE,

EXORTVM,

ATQVE

Ab Alma Academia Societatis IESV

VILNÆ

CELEBRATVM

Anno M. DC. XLV.



VARSAVIÆ, In Officina PATRI ELERT S. R. M. Typographi.

Autore P. Casimiro Koziatowicz S. J.  
Estr. 190 p. 397

A D  
I L L V S T R I S S I M V M  
&  
E X C E L L E N T I S S I M V M  
S P O N S V M.



Ifficile est vocem inter gau-  
dia continere, ILLVSTRIS-  
SIME & EXCELLENTISSI-  
ME DOMINE. Diserta sunt, cum ex  
felicitate materix plausum sumunt.  
Ut enim pauca dicant, multa dixisse  
videntur, cum magna. Melius res  
suadent, quam voces, exempla permo-  
uent, quam verba. Copia meritorum,  
flumen eloquentix. Debuit igitur in-  
ter tot nuptialia fœdera tibi gratulan-  
tium voces, plausus noster audiri, de-  
buit & voluimus. Academia, os ac  
lingua publica, nullis impensior laudi-  
bus, quam quarum floret beneuolentiâ.

Tua sunt quæ ILLUSTRISSIMORVM & EXCELLENTISSIMORVM Parentis, & Socii, in Almam Academiã Vilnensem beneficia, ac Tibi non magis sanguinis affinitate, quàm fauoris proxima. Imò debemus Tibi recentem ac tuum, Tuæ singularis humanitatis censum. Verfari enim inter nostros parietes magnus gratusq; hospes videris, quos præsentia illustrasti. Itaque nos quoq; tanquam præsentem Tibi adessemus, Te gratulandi adimus, plus fortassis ad Tuæ magnitudinis auctoritatem allaturi, si nos magnitudine Tuâ occupatos, à gratulatione non potuisse discedere asseruissemus. At maior est in magnis, laus humanitatis, quàm Maiestatis. Admitte ad Te venientem eo animo Academiam, quo ad eam accessisti, & Tuigenij in oratione imitationē, Tuæ dignitatis in cultu venerationem non detrectabis.

181

# S I D V S

## PUBLICÆ LÆTITIÆ.



**O**ncordi sapientiæ diuini-  
ris senatu edictum est, FORTVNATIS-  
SIMI SPONSI, eam tantum factorum æsti-  
mationem laudis veræ ferre dignita-  
tem, quæ publicis encomiorum suffra-  
giis, gloriæ intromittitur sacratio. Nemo enim sua-  
tissimo vitæ beatæ fructu, absque honore fruitur, ho-  
nor autem non priuato, verum publico iudicio con-  
stat, testimonio crescit, præsidio conseruatur. Blan-  
da laudum educatrix domus priuata, melle adulatorio  
partus suos pascit, blanditur, mulcet, applaudit: cum  
verò maturos publico foro rata, ultra limen protruse-  
rit, turpi simio, turpior simia deprehenditur collu-  
fisse. Experientiæ indieijs compertum, fallacia quæ-  
dam nocturnorum ignium ludibria, exilire in scin-  
tillas, emicare in radios, effulgere in faces, hominum  
oculos ambire fulgore: at cum explorator naturæ  
Phæbus, cælorum theatrum occupauerit, continuo  
nitorem perdere: ita euenit, vt qui inter domesticas  
tenebras lucis gloriam fundere videbantur, & sibi fa-  
cti theatrum, sibi Populus, sibi spectatores, laudum  
scenam agebant: hi in lucem publicam educti, nec  
vmbriis vincendis sufficiunt. Lux Publica, Publicum  
Iudicium, explorator veri, recti index. Illa laus, ma-  
gnis meritò anumeranda, in quam gloriosa multorum  
concordia coalescit: illa ab omni vitij consortio cen-  
senda aliena, quæ omnium censurâ approbatur. Quàm  
ingens igitur, quàm clarum, quàm augustum tædarū

vestrarum Nuptialium effulsit sidus, cuius radij cum sole simul, per regni gaudia dispersi tanto penè splendore perstrinxerunt animos, quanto Sol oculos. Agite SPONSI GLORIOSISSIMI, intuemini in hac vestra luce, excitatos spei maximæ triumphos, ingentem Illustrissimarum Familiarum lætitiā, gratam vniuersæ Reipublicæ approbationem. Multum Patriæ interest, an filij Heroum pares suo generi, dignitati, virtuti quærant amicitias, & mutuæ amicorum coniunctioni, vinculis veluti firmissimis, communia innectant commoda. A prioribus sæculis sequentia robur sumunt, talia successura, qualia instituerimus. Succedunt non homines tantum hominibus, verum etiam temporibus tempora, opulenta, robusta, gloriosa, prout tulerit hæreditas. Vnum Numen vtrique præfidet tempori, vnumq; præfideat necesse, si dignitatem, fortunam, gloriam posterorum, similem maioribus volumus. Tales succedant posterī, quales præcessere parentes, atque adeò talibus nascantur parentibus, qualibus ipsi editi. Panditur verò hîc ingens spei publicæ theatrum, & augustū gloriæ DŌNHOFFIANÆ ac OSSOLINIANÆ atrium, quod qui mentis intuitu complexus fuerit, in longa maximorum Heroum serie, Romanum illum Gallis ac Pyrrho admirandum Senatū, mirari tantopere desinet. Spectaculum antiquissimarum ætatum exhibet, virtutem omnium. Quotquot in prospectu occurrunt, omnes generis nobilitate, omnes facinorum gloriā Illustrissimi. Quemadmodum Nilum nauigantes, semper per fluuios prouehuntur, ad fontes humanæ industriæ defatigandæ abditos, difficile perueniunt: pari ratione magnorum Heroum, atque adeò DŌNHOFFIANO ac OSSOLINIANO sanguine prouectis, immensum latè profusæ originis æquor

102

emetiendum, vt ad fontes enauigent. Ostentat autem perennis dignitatis custos Gloria Franconiam, gentem virtutis bellicæ, ac libertatis famâ, sæculis omnibus laudatissimam, in eaq; augustæ antiquitatis gloriosa vestigia Palatium Donhoff ad Mosam fluuiû, à Familia vetustissima appellatum. Iam Donhoffianis Liuonia effulserat radijs, iam in Prouinciam Regis Regum eorum ope cesserat, cùm Mosana ditio, iisdem gauderet hæredibus, quibus Liuonia tutelaribus. Cessit tandem locorum auulsa distantia alterius gentilis imperio Donhoffiano constanter ad gloriam retento nomine. Posteaquam verò SIGISMUNDO AVGVSTO Polonis imperante libertati sese adiunxere Polonæ. Tanta merita, tantam in Regno deposuere gloriam, vt iniuriæ rea à Republica fortuna accusanda videretur, si tantos Heròes extra Poloniam morata fuisset. Quantum enim omnis æui Lechici decus assurrexit, formidandus hostibus Patriæ OTTHO DONHOFF, cui Mars plurimis gestis bellis non fracto aut fesso, ac emerito Heroi Senatoriam Palatinatus Parnauiensis subtrauit purpuram, vt ad publica bona natus, publicis commodis innutritus, publicorum consiliorum salutaribus immoraretur præsijs? Successit Herculi Theseus THEODORVS DONHOFF Palatinus Vendenfis, cuius egregia in Rempublicam merita satis abundè Fratrem Othonis sunt testata, non à natura magis ad Familiæ gloriam, quam ab eadem, pariter ac virtute, ad Patriæ salutem Fratri simillimo Marte iustructum. Vestrum iam Musæ, Vestrum Castra ERNESTVM DONHOFFIVM appello. Audiuere hunc Principes Legatû, & sapientiam sunt mirati: videre Otthomani Tribunum militum, & robur expauerunt. Spectauere Succi inter fœdera Polonica ac Suecica Palatinatus

Parna-

Parnauensis honore insignem, cedere coacti sententia, cuius sæpius armis cesserant profligati. Non finit virtus superstes Te immaturè ereptum queri **HERMANE DONHOFF** turmarum Militarium sub auspicijs fortunatissimi Ducis Zolkieuij Ductor nobilissime. Verūtamen sola recordationis præsentia, nostra solatia non explet. Utinam non tuorum mensurâ meritorem, verum publicorum desideriorum votis, vitata definita fuisset, Rempublicam prosperiore fortunâ gaudentem lætaremur. Sustulit vero Te clades illa Regni ad Ceceram, Regni inquam & totius Reipublicæ grauissima clades, tanquam priuata esse non potuisset, in qua Tu occubuisti. Prospiciebat à longè Respublica emolumenta, cum ætate Tua in se deriuanda, cum prius Miles & Ductor cohortium, quam vir gloriosissimo Imperatoris Tui encomio **VERVS MARTIS PVLLVS** audires. Hæc qui cogitat, qui intuetur, nonne ad confessionem gloriosissimam adigitur magnâ cum æqualitatis laude, insignia Gentilitia **ALEXANDRI II.** Pontificis Maximi ex Familia Mediolanensi Pedaciana, Familiæ Grandochicorum & Treuarteniorum in Britania, Familiæ Grensingiorum in Misnia Donhoffianæ Domui illata? Neq; verò inter hæc decora recensenda numero sed delictu sum vsus. Nam illud quoq; præterij, Regio sanguine Domum hanc ditari, ab Illustrissima Illustrissimi **GERARDI DONHOFF** Palatini Pomeraniæ consorte Piaftida Ducis Brigenfium Filia Ioachimi Electoris Brandenburgici nepte deriuato. Quod si Illustrissimæ Familiæ **OSSOLINIANÆ** origo & claritas stylo committeretur, integra Annalium comprehenderentur uolumina, cum Bielscio teste insigne Ascie vulgò **STARZA** à vetustate dictum, ante Craci imperium Polonos Herodes

rôes exornârit, atque adeò Palatinis fascibus, diuifa in  
 duodecim Palatinos Regni administratione infertum  
 fuerit. Sæpè verò fortuna in mortalium finus libe-  
 raliffimè exundans, cursum prosperitatis in medio  
 abrumpit: DONHOFFIANA ac OSSOLINIANA fællicitas,  
 cum ampliffimos laudum campos inundasset, non  
 aruit inopiâ, sed copiâ aucta. Multis eadem in ortu  
 fol, meridie luna, vespere stella, in tenebris scintilla,  
 DONHOFFIANVM OSSOLINIANVMQ lumen diem constan-  
 ter facit, & retinet. O augusta tot ætatum animo obie-  
 ctarum spectacula! ô custodes veritatis sacra antiqui-  
 tatis monumenta! quæ si ab animis ad oculorum sola-  
 tia transferre volumus, in pulcherrimis Illustriffimo-  
 rum & Excellentiffimorum GASPARI DONHOFF Palati-  
 ni Siradiensis, & GEORGH DVCIS DE OSSOLIN Regni  
 Cancellarij trophæis, clarè spectanda exhibentur.  
 Gloriatur meritò Polonia de robustiffimis poli sui A-  
 tlantibus, quorum humeris innixa, VLADISLAO IV.  
 Regum Inuictiffimo, fortunatos imperij orbes versan-  
 te, inter trepidantia Europæ fulera inconcussa per-  
 stat: at DONHOFFIANIS OSSOLINIANISQ; consilijs pars  
 Cæli effulta firmiffimis secundum cæterorum Heroû  
 infractum robur incumbit viribus. Magnum Romanæ  
 gloriæ accessurum pondus existimauit Linius, si suæ  
 gentis Duces quos fortuna bellis Alexandri Macedonis  
 subduxerat, in Historia opponeret, victoriam armo-  
 rum omiffam, stylo quæfirurus. Beatiorem te Lechia,  
 non tu in ceris ostentas, at fællicitatis constanti vfu  
 discis, pares omnium ætatum ac gentium honori,  
 apud te non deficere Heroas. Inter hos ô posteri cum  
 Illustriffimos & Excellentiffimos GASPARVM DON-  
 HOFF & GEORGIVM DVCEM IN OSSOLIN suspexeritis,  
 illos viros, illa senatus lumina cogitate, quorum mo-



les, audaciam orationis opprimat. Nam Illustrissimus  
GASPAR à DONHOFF eâ Palatinatum Siradiensem cir-  
cumfundit gloriâ, vt purpuræ plus luminis tribuat,  
quam acceperit coloris. Vbi annos eius numerare cæ-  
peritis, ibi inchoabitis merita. A gloriosissima Adole-  
scentiæ commendatione SIGISMVNDI III. Regis  
Poloniarum benevolentiam meritis, eam in ætatem  
suam vertit, vt annorum adolesceret incrementis. Sa-  
gum cum Republica simul deposuit, Moschouiticis ac  
Sueticis laureis gloriosus. VLADILAO demvm IV.  
ijsdē, quibus SIGISMVNDO Regi studijs gratissimus,  
hæreditate paternam in simillimo Filio occupauit gra-  
tiam. Dignitatem cum humanitate ita coniunxit,  
vt veneratio amorem, amor venerationem exigat.  
Prudentiam, opes, potentiam cum salute Patriæ ita co-  
pulauit, vt nihil præterquam ex commodo publicæ sa-  
lutis agat. At Illustrissimus & Excellentissimus GE-  
ORGIVS Dux in Ossolin, fidem publicam cum Officio  
Cancellarij Regni sibi commissam, tantis tuetur stu-  
dijs, vt omnis posteritatis fidem ad immortalitatem  
nominis sui conseruandam obliget. In hoc Herodē  
VLADISLAI IV. Regis Poloniarum electi ad VR-  
BANVM VIII. Pontificem Maximum Legato, cum  
Poloniam Roma suspiceret, suos triumphos redditos  
mirata; cum loquentem audiret, translato in Sarmatiam  
Latio gemitus parabat, donec caput se Orbis cla-  
rius agnosceret, cum tam longinquas nationes suo ore  
perorantes audiret. Laudibus deinde populorum ex-  
ternorum, & nostris desiderijs in Patriam reuectus,  
fortunâ per virtutem partâ fruitur, gaudetq; bene-  
meritorum fructu, par maximis, quos gessit, & quos  
summa dignitas virtutis meretur honoribus. Virtutē  
in gradum honorum primum subiectam, ad eò fortu-  
natâ

nata constantia in culmen erigit, vt apices quoque dignitatum, in gradus maiorum meritorum substernat. Concedamné verò eam flagitanti animo libertatem, vt per reliqua Herois vtriusq; merita progressus, dignissimæ desiderij laudum indulgeat voluptati: atque vt per alios quoq; diuisa Heròes Illustrissimarum Familiarum decora exultanti Oratione prosequatur? Compendio viribus succurrendum. Sufficit ad venerationis obsequium aliquos gloriæ fructus delibasse: sufficit ad vestram Gloriosissimi Heròes famam, magna. DONHOFFIORVM & OSSOLINIANORVM nomina, hoc est ingentes, fidei in Patriam, sapientiæ, fortitudinis titulos memorasse. Non est parum loqui, vos appellare. Admittetis igitur venerabundum silentij cultum Illustrissimi CHRISTOPHORE OSSOLINSKI Sendomiriensis, & GERHARDE à DONHOFF Pomeraniæ Palatini. A Maiorum vestrorum mentione ad vos deueni, hæere autem in vestri intuitu non possum, quin in eorum memoriam relabar. Hoc vestro vultu, Mars Donhoffianus æquè Ossolinianus hostes olim terruit. Hâc vestrâ fronte salutare patriæ Catones sanctitatem vetustioris ætatis sinceram ac candidam prætulerunt. His fortibus dextris Alexandri suorum temporum & Iulij, iura Diuina, libertatem, Patriam, sunt tutati. Arma spectas? Si hostis es, fulmina expauesce, si amicus, tuæ præsidia beneuolentiæ venerare. Age anime, lætitiã hanc gloriosissimarum Nuptiarum, magno impetu publica gaudia inundantem alacrior prosequere, vota pande, precare fortunam, præconia per diuisas materiæ felicis partes cum appreciatione sparge.

B 2

ÆDES

MEMORIE

# ÆDES NVPTIALES.

**S**acrarium Hymenæi, Gratiarum delictum, Musarum pratum, Amœnitatum hortus, hilares & faustos Hospites, Sponfos, Heros meos inuito Porta. Pandite ampliorem sinum augusti postes. Magno le vobis fortuna infert comitatu. Gaudia prima, amplissima. Tolle sertum Hymen, rosas Gratix, Musæ lyras. Æternus est Coniugalis amor, Floridus, cantu gaudet. Atheniensium quoq; genium non reprobo. Laurum vertici sacro præfigite. Laurus bona vates. Laurus ædium salus. Ingressuris sospitem egressum, egressis incolumem reditum dicam. Merui laurum in triumpho animorum. Lana quoq; ex Romanis institutis caput exornate sacrum, modestum, nulli infestum. Nec hederæ alienæ, tam gloriose exornant frontem, quam lana propria. Numen laneos pedes habet, ego caput. Hoc illud attigit, cum veniret ut Sponsis adesset præsentibus. Stabo ædes, DEO Auspice, fortunata: Vos Sponsi, eodem præsentem ac tutante me perennes incolite.

*O Hymen Beatioris,*

*Sæculi parens beate,*

*Fac sit ædes hæc beata,*

*Sed sit ædes ut beata;*

*Fac agas quod te monebo.*

*Candidis fortuna Sponfos*

*Vecta bigis, visit Hospes*

*Mente, vultu, voce, plausu,*

*Nuptiale lata festum*

*Approbat, plaudis, precatur*

*Hospitem nosti fugacem,*

*Et fuga currus paratos,*

*Sparge tadas, vre currus,*

*Tam superba nollet hospes*

*Ædibus pedes abire.*

# LIMEN NVPTIALE.

185  
**S**eu marmor, seu truncus iaccam, nulli cedo. Nihil me sanctius, quibus leges amicitie sancte sunt. Ante me, iura panguntur, quae Numen dicit, leges statuuntur, quas Caelum scribit. Intra me, meta societatis humanae fixa, non transilienda. Semper venerabile, semper sacrum, hodie Donhoffianas Ossolinianaesque plantas submissum excipio, ut altam venerer dignitatem. Praestat nunc calcari, quam olim coli, nec tangi. Cum amicorum manibus, raptam ante limen Sponsam, inferri meis aedibus apud Romanos obseruarem, faelicitatem meam vidi, non sensi. Imprimuntur vestigijs, quae illiminabantur transultu decora. Gyrum quoque ex more intra limen faciendum, pro sponsa fortuna peregit. Cum circumuoluta, aedes circumspiceret, de securitate prouidit: cum subsisteret, constantiam gradu certo firmavit. Spargite pro carycis, & palmarum fructibus vota amici. Faecundius gloriosiusque pullulabunt. Dediscat mores antiquos fortuna, & tot saeculorum magistra, studia vetera ad hoc limen deponat, ut maiori industria sponis faueat.

*Intrate amici o hospites!*

*Intrate amica o pectora!*

*At vos procul de limine*

*Moror timorq; cedite.*

*Hic excubat virtus vigil,*

*Hic temporum perennitas,*

*Hic limes est & foederum*

*Hic limes est & gaudij.*

*Abesto quisquis perfido*

*Limen sacrum tangis pede*

*Offendit hostiles vias,*

*Et improbos trudit gradus.*

# ANNVLI NVPTIALES.

**A**nnulus corona cordis est. Ferreus fit an aureus  
Corona cordis est. Vbi amicitia, ibi victoria,  
vbi victoria ibi triumphus & corona. Reges Plauto  
Sponsi. Cor Regni sedes, amor sceptrum, satellitium  
benevolentia, animus ditio. Annulus in se conuertitur,  
amicitia vera, nusquam inuenit terminum. Amicus  
non est, qui inimicus esse potest. Anchoram Se-  
leucianam nuptiali annulo insculpite, anchoram cogi-  
tationum Sponsi figite. Hic portus & statio perennis.  
Pignus tranquillitatis annulum tenetis. Nec manus  
tota annulo coronatur, sed digitus, quod plus amicitia  
conferat ornamenti, quam laboris. Ferreo olim sæ-  
culo, adeo pretiosa amicitia non visa, ideoq; annulo  
ferreo donata, nisi quod sanctam integramq; sponde-  
rent, ferro muniebant, ferro tantum & fato extremo  
diuidendi amici. Prodigalitas hic timenda non erat,  
si summo auri pretio, summum amicitiae pretium desi-  
gnaretur. Ferrum neglectum rude est, excultum  
fulget; amicitiae studia intermissa rubiginem beneuo-  
lentiae inducunt. Gemma autem annulus diu caruit.  
Sponsa gemma iudicabatur, & gemmis omnibus ca-  
rior vitae societas. Bene tamen aetas sequens, auro  
ferrum mutauit, ut pretium amicitiae faceret: & gem-  
mam annulo inseruit, ut auro posse addi maius pretium,  
amicitiae non posse indicaret. Vos **DIGNISSIMI**  
**SPONSI** annulos aureos sumite, aureos dies, aurea  
solatia, auream vitam cum annulis assumpturi.

*Sortes polus futuri  
Cum temporis notaret,  
Sponsiq; fata clara  
Sponsaq; vellet orbi;*

Mox

186

Mox gemmeo nitore,  
Et aureo nitore,  
Fulsere gloriose  
Sculpta annulis decora  
Dönhoffiana imago,  
Sponsæq; iuncta imago.  
Quis clarior sit auro,  
Quis annulus sit igne?  
Suffragijs petitum.  
Iam Iuppiter Tribunal.  
Iubet silere Diuum,  
Par inquiens vtrinq;  
Splendor micat decusq;  
Est Sponsa Gemma & aurum,  
Sponsusq; Gemma & aurum.

## MENSA NUPTIALIS.

**I**Oci, lepores, sales primum locum capiunt. Frons serena, Cælum serenum. Nuptiale festum festiuissimum. Sacra mæror, ne turbes. Odit amœnitatis lucem, qui vultum induit tenebris. Lætissimi Conuiuæ, gratissimi. In amicorum comitijs, suffragium læsus animus non habet, Crescant fortunata Sponsorum gaudia, mutuis gaudijs amicorum, vt tantum soli gaudeant, quantum gaudent vniuersi. Vt læsos ita lætos oculos, dum spectant oculi, læduntur, aut lætantur ipsi. Mensæ amicos, ac inimicos parant. Nuptialis Mensa tota sit amica. Lyra consonans, amici concordēs. Ne rumpe chordam, ne violes lætitiā. Commodius tamen huic mensæ affideat, conuiuia Ægyptius, quam Sybarita. Hilaritatem suadeo, non voluptatem. Polonis, nuptiales mensæ dederunt prouerbium. Mors quoque nubet.

*Mortem nubere dicitis Poloni,*

*Sed que sit mala pompa Nupriarum.*

*Et cili*

*Et cui nubere debeat filetis!  
Illi turpe genus, scelusq; Mater,  
Nusquam ditio, nulla certa sedes.  
An ulli placet ista Sponsa Sponso?  
Eheu seua, ferox, scelestasponsa  
Insultat miseris grauis maritis,  
Morbus pronubus, atq; mille casus,  
Planctus pro cythara est, domus sepulchrum.*

*Si mortis ratio ista nuptiarum,  
Quam felix ratio illa nuptiarum?  
Quando gaudia mille, mille risus,  
Quando pectora mille, mille amici  
Circumdant sacra festa Nuptiarum.  
Et cum lacrimis, iociq; grati  
Cum plausus Cythara ac amœnitatum  
Scipant DONHOFII latus Cohortes.  
Vitam hic nubere, dicite o Poloni.*

## DAPE S NVPTIALES.

**D**ulcissimum dapum obsonium, beneuolentia.  
Quidquid offeratur desipit, si non sapit largitor.  
Oculos pascunt non famem cibi pretiosi, & seueritate  
Domini muniti. Offerte Romani piperata sponis  
obsonia. Nihil amarum, in tam dulci amicitia con-  
fortio. Sumite etiam de spinis uas. Non quæuis  
spinæ manum sauciant, Et ut vulnerent. Humana  
fata, humanâ societate tolerabiliora existunt. Non  
terrent spinæ, cum placent uas. Patimur, ut voto  
potiamur, etiam cum potimur patimur, aliud tamen  
grauis non est, cum aliud gratum. An & Persæ ma-  
lum huic conuiuio apponunt? Sumite **FÆLICES**  
**SPONSI.** Multos Zopyros accipitis, & tot, quot  
malum Punicum grana claudit. Fata quoque uestra  
agnoscite. Pueritiam fortuna cum pomo quo ludere  
consue-

confueuerat, ante vos deponit, viri deinceps constantiam deseruitura. An & uobis fortuna lusus, fata iocus, vita dulce epulum? Alio cibo, quam malo, nuptiarum die, Sponsis vesci non licuit, alijs quam suauibus fortunatorum successuum obsonijs. Viuite **FORTVNATI SPONSI**. Homines immortales esse non possumus, immortales vos tamen optamus, vt votis affectus mensuremus.

*Non parcâ ô superi manu  
Vita munera spargitis,  
Nec parcè data munera  
Vestri impendimus emuli.  
Nam plenos cyathos damus,  
Vita munifici mero.  
Si vitâ fruimur bene est:  
Si vitam bibimus bene est:  
At cœlestia pignora,  
Mortales fugiunt opes.  
Quod das si Superis placet,  
Cum larga eripient manu.  
Seras tollite iam dapes,  
Et dum pocula sumitis,  
Implorate polum prece,  
Longos atq; hilares dies.*

*Fiet ita vt Sponsis vitam DEVS ipse propinet.*

# SACRA NVPTIALIA.

**A**Deste Cælites, fauete, aspirate, sanctis, æquis, perennibus fœderibus. Si nunquam plausisset Cælum, in tanta virtutum plauderet harmonia. En æmula Sponsorum pietas, religio, cultus superum, ante **DEVM** constitit, vt Diuinæ authoritatis vinculo necteretur. Dissidet quod impar est, rapit autem similitudo morum affectus. Distinguuntur & sidera

95330

C

inui-





inuicem, peneq; propinquiora, quæ familiora. Facile  
 nostros mores probamus in alijs. Magna hæc, ma-  
 gnorum Sponsorum gloria, virtutis nexu amicitiam,  
 roborari. Fortunatæ Nuptiæ, quarum virtus Pronu-  
 ba, Sponsor, Testis, Author, perennator DEVS. Bœ-  
 tijijs nulla coniugia firma, nisi prius ante aras a Spon-  
 sis libaretur. Hic ara vbi DEVS, hic DEVS vbi DEI  
 vicaria autoritas. Iam nunc Romani ignem & aquã  
ante sponfos ponite. Nec incendia terrebunt, nec  
naufragia diuident coniunctos animos. Ignis ardet  
 nec deficit, nuptiales tedæ spei posteritatis prælucent,  
 eâdem luce, eâdem claritate olim effulsuræ. Current  
 pariter prodiga Laudum encomia, & nascentes glo-  
 riæ fontes, mare fient. Ut credatis euenturum. Ignis  
 & aqua res naturâ diuersissimæ in sponforum laudes  
 concordarunt.

*Et quis non solitis percita cantibus  
 Demulcet placido carmine pectora?*

*Nubite læti  
 Nubite Sponsi,  
 Maxima claræ  
 Gaudia Gentis,  
 Inclyta Diui  
 Gloria Regni.  
 Vos polus ornat,  
 Vos amat orbis.*

*Magna canit maiora cupit vincitq; canendi  
 Materie cantum, votis quoq; vota fatigat,*

*Viuite læti  
 Viuite Sponsi,  
 Viuite Cælo  
 Sidera Cæli,  
 Viuite terris  
 Sidera terra,  
 Vos polus ornet,  
 Vos amet orbis.*

Hoc virtutis honos, hoc magna gloria laudis,  
Hoc pietas virtusq; vouet, vouet atq; meretur.  
*Audite, Jo gaudebitis.*

188

**S**atis diu deliberato gaudiorum errori institi, su-  
perest vt vota colligam, & quantum optemus  
vniuersi, simul declarem optando. Auspicatissima  
lætitiæ publicæ recensui argumenta, ea tamen spei  
propinquiora, quæ in Te ipso GLORIOSISSIME SPONSE  
intuemur. Aurea frontis augustæ hilaritas, & hila-  
ris constantiæ maiestas, gloriosi magnarum mentiũ  
excubitores, procul humilium cogitationum turbam-  
a sacra mente tua arcent, & quantus, quàm illustris,  
quàm Diuinus animus sacrum pectus inhabitet, indi-  
cant. Ex vultu virum. In sereno faciei mentis tran-  
quillitas explicatur: intra oculorum corusca lumina  
fortunatus exultat animus: in gemmea oris amœni-  
tate vigor animi efflorescit. Sic & lilia micant, sic  
& rosæ cadent, vt vis interni humoris, lineis aureis  
atque argenteis, per collum ductis erumpat. Opero-  
sum munus, inter aulæ mores integram vitæ sanctio-  
ris retinere disciplinam, arduum, æstu feruentioris  
ætatis non abripi: difficile, in lubrico libertatis passu  
virtutis seruare constantiam: tu non magis DEO  
quàm Principi gratus, vitæ normam ad optima vir-  
tutis præcepta efformas. Amicus ad aras, ad aras au-  
licus. Imò ara Tibi amicitia est, ara aula, ad quam  
virtutum consecras exempla. Vrgent suâ sponte  
currentem auita virtutis incitamenta, vrget intima  
generosi animi æmulatio, vrget transumptus magno-  
rũ RADIVILIORVM, KONECPOLIORVM, LESZCZYNIORVM  
sanguis, quo nihil in vniuersa Polonia, nobilius, illu-  
strius, augustius. Tuam Patria incolumitatem, tuam  
Succia, Moscouia, Scythia, Turcia perniciem. Quo-  
ties

ties perfidi vultus ad infamiam nunquam diluendam.  
hoc cruore erubuistis? quanta rebellis audacia nau-  
fragia passa? quantum publicæ vitæ vigoris spiritusq;  
accessit? Tangunt cor tuum **DIGNISSIMÆ SPONSÆ** hæ  
venæ, permeat sanguis, pulsat irrequietus spiritus: in  
hostico victricia signa, bella, trophæa, domi salutare  
togas, laureatos fauces, immensa gloriæ capitolia, spe-  
ctas, accenderis æmularis. An tu Miltiadis requiras  
trophæa, cum tua tibi & orbis spectaculo sufficiant?  
Nulla laus domi tuæ peregrina. Constitue in animo  
tuo vniuersam Poloniam, Lituaniam, Liuoniam: vni-  
uersa Europæ Regna. & quoniã his capacissima mens  
tua non expletur, Septentrionem, Asiam, orbem de-  
niq; circumspice, nũ quæ pars mundi gloriã Illustrissi-  
marum Familiarũ tuæ affinitati innexarum vacet? Nul-  
lus locus tam inuius, nulla Alpium iuga tam excelsa,  
quæ Aquila Radiuiliana famæ volatu non superet.  
Quanta æeris capacitas, tantum aquilæ volantis spatiũ.  
Volat iisdem vicinibus Lesczyniorum nomen  
ingens, sublime, admirandum. Alis non eget, meri-  
tis attollitur. Quid Opaliniam memorem Nauim? al-  
tera, sed non fabulosa, Argo, ab ipsis Reipublicæ incu-  
nabulis, semper fortissimis, Patriæq; fidissimis, non  
interruptâ serie, plena Herõibus. Iam verò vastus  
ille Borysthenes quàm lato sinu laudibus Koniecpolia-  
nis oneratus se præcipitat, vt cæteras mundi regio-  
nes, non fluuius, præterfluat, sed mare inundet. Non  
sola beato recens Podolia lætata spectaculo, cum san-  
guine Scythico vndantes spectaret ripas, natantesq;  
pharetras, arcus, capita numeraret: quodcunq; litus  
Koniecpoliana hæc trophæa præteruehebantur, Illu-  
strissimi **STANISLAI KONIECPOLSKI** Ducis Exercituum.  
Poloniæ robur inuictum, attonitum mirabatur, & tan-  
ti Herois incolumitatem Poloniæ, affinitatem Illustris-  
simæ

simæ Donhoffianæ Familiæ gratulabatur. Tiberius  
 Gracchus factione opulentorum oppressus, pridie quã  
 occumberet patris statuam in foro adiit, eamq; diu  
 contemplatus, fatis suis miserabiliter est illacrymatus.  
 Enimverò cum omnibus graues sint fortunæ aduer-  
 santis inimicitia, tum ijs plurimum, quorum fauori  
 obstrictior videtur. Tantò altius vulnus figitur, quan-  
 tò confidentius petit pectus. Mehori omine Tuorum  
 tibi addicta fortuna, procul fatorum metum à Tuis  
 auspicijs arcet, quandoquidem per eos rectè factorum  
 gradus, Te Tua virtus ad summa ducit, per quæ Ma-  
 iores Tui ac sanguine iuncti, ad culmina fortunæ &  
 dignitatum euaserunt. Perge fælix, & accessionem  
 Illustrissimæ Familiæ Ossolinianæ, diuinis vitæ mune-  
 ribus adiunge. Neq; casu, neq; humanis consilijs ste-  
 tisse vestram coniunctionem existimare possumus, at  
 diuinã mente olim decretam, hodie perfectam. In  
 tam opulentam gloriæ hæreditatem Te successisse  
 multum erat, nouo splendore auctam Superi voluerūt.  
 Agnosce clarissimo beneuolentiæ testimonio, quàm te  
 carum cæli habeant, cui tam illustrem maximis pro-  
 pinquitatibus, tam gratam maximarum virtutum  
 commendatione designauêre Sponsam. Ad solem  
 nemo facibus utitur, nisi cæcus. Illustriores Ossoli-  
 niæ claritatis radij emicant, quàm vt lumine aduenti-  
 tio illustrentur. Non inter tenues calami umbras,  
 at in corde cæli, regniq; meridie spectanda summi  
 splendoris maiestas. Quod si omnia cælitum munc-  
 ra, gratijs ac veneratione colis, tantò maioribus gratū  
 te ijs testaberis studijs, quantò maius omnibus vitæ  
 muneribus munus est, dignissimam vitæ consortem  
 meruisse. Ipsa tibi prosperitas nubet, quia Virtus, ipsa  
 Virtus, quia sanctissimã educatione enutrita, virtutū

institutio. O fortunata beatissimarum nuptiarum  
auspicia! Assurgite candidi dies, nouis illustriores  
ignibus, nec assumptos vultus vnquam deponite. Di-  
es hic parens sit, & norma reliquorum, lætissimorum,  
augustissimorum, beatissimorum. Quid in DONHOFF-  
FIANO ac OSSOLINIANO cælo nubes tenebrosæ possint,  
quod genus illustrissimum serenat? Quid infestarum  
procellarum tempestates, quando Virtus imperat?  
Quid fatalium ignium rabies, quando cælestis fauoris  
perenni refulget sidere? Nunquam cælites vota iusta  
repulerunt. Dabunt quicquid nos precamur, dabunt  
quicquid ipsi precamini. Videbit fælix posteritas re-  
florescentem Donhoffianam ac Ossolinianam gloriam,  
& gaudijs nostris fruetur, eò opulentioribus, quò præ-  
sentioribus. Videbit rediuuiam Maiorum fortitudi-  
nem, & præteritis intererit sæculis, cum intra deri-  
uatam ab ijs gloriam versabitur. Crescent demum  
fæcundiores lauri, augebuntur purpuræ, cumu-  
labuntur fasces, ad Familiæ, Reipublicæ, Ec-  
clesiæ, immortalia ornamenta.



L-17  
2-14/12